

ANDREAE PIQUERII ARCHIATRI.

*De procuranda veteris , & novae
Medicinae conjunctione.*

ORATIO

Ad Academiam Medicam Matritensem.



UM primùm in vestrum coetum , Vi-
ri clarissimi , receptus de Medicina
excolenda cogitare coepi , nihil mihi
antiquius , quam ut *experimentalem* ar-
tem omnium optimam omni etiam animi intentio-
ne promoverem. Deinde Hispanorum Medicinam ,
etsi caeteris faciem praferentem , abjectissimam
jacere non sine animi moerore inspiciens , de ea
instauranda , quanta maxima cura potui , virili-
ter egi ; sed cùm naviter pertendere , optatumque
omnino finem consequi non potuerim ob præ-
conceptas plurium circa veterum , & recentiorum
dogmata opiniones , mihi hac de re nunc agendum
constitui , ut vos aequissimi rerum aestimatores
meam operam conjunctis viribus , & veneranda
auctoritate roborare valcatis. Sunt nonnulli vete-

rum placitis adeo addicti , ut nihil rectum , ni-
 si ab antiquis derivetur , putent. Contra : alii
 adeò severè adversus seniores sè gerunt , ut sibi
 gloriae ducant , eos virgula censoria ubique per-
 cutere. Sed cum nostris temporibus non desint Me-
 dici , doctrina & opere praestantissimi , qui me-
 diam calcantes viam , veritatem , seu in veteri-
 bus , seu neotericis repertam , instar *Ecclesioco-*
rum Philosophorum , pro scopo habeant , eorum
 vestigia sequens monstrare conabor , Nos artem
 salutarem non nisi serio inspectis antiquis &
 novis Medicis posse promovere , ita tamen , ut , ex
 omnibus quidquid verum & experientia confir-
 matum sit , delibantes : incerta , systematica , ne-
 que adhuc benè discussa dogmata longissimè ab-
 jicientes , his laboribus in corpus unum Medici-
 na coeat constans , stabile , & aeternum duratu-
 rum. Profectò , vetustissimos tum Medicos , tum
 Philosophos plurima dixisse vera , atque solida
 artium omnium jecisse fundamenta , nemo nisi
 in eorum scriniis fuerit hospes , negare audeat.
 Scio multos esse perfictae frontis homines ,
 qui non modò doctrinam , sed nomen antiquo-
 rum alto supercilio abhorrent , cum eos nec le-
 gerint , nec ex ipso limine , ut ajunt , salutave-
 rint. Mihi ii videntur esse similes ardalionibus ,
 qui vana loquacitate molesti sibi , aliis odiosissi-
 mi ,

mi , nihil aliud reipsa agunt , nisi ut in alieno
foro litigent , & quaecumque ignorant despicien-
tes , emunctae naris hominibus risui sint , &
contemtui. Alios videoas veterum non tam oso-
res quam censores , qui ubi in eorum scriptis
vel minimum inveniant quod displicet , sese in ar-
tis Magistros erigentes , nihil aliud quam anti-
quorum errores , & hallucinationes continuò cre-
pant. Sed id genus hominum , abjectissimum ju-
dicans quidquid eorum menti corruptissimae op-
ponitur , nihilque rectum ducens nisi quod sibi
placet , turpe putans aliis parere , id profectò fa-
cit intelligendo , ut nihil intelligat , atque mi-
serè obcaecatum maledicens , malefacta sua ne
quidem agnoscere , multò minus emendare au-
det. Procul ergo absint impudentes isti sycophan-
tae , cosque , ut ex ungue leonem agnoscentes,
è Medicorum foro prorsus excludamus. Sunt de-
mùm alii qui nostris temporibus medicinam adeo
locupletatam novis inventis , ac celeberrimorum
virorum opera in artis praeceptis tradendis ex-
cultam inveniunt , ut veterum lectionem necessa-
riam non putent , quin potius non nisi vana tem-
poris jactura fieri audacter pronuntient. Sed sistant
paulisper , quaeso , homines isti , & mecum con-
siderent , num potissima dogmatum utilium pars
in hodiernis scriptis conspicua ex veterum monu-

mentis sit desumta? Necessè est id candidè fanteatur, qui antiquis, ut par est, lectis, probeque discussis, celebriores nostri aevi auctores percurrat. Unus pro omnibus exemplo sit famigeratissimus Wanswietenius. Commentaria optimae frugis in Boerhavium, magnam partem, veterum doctrina ornantur, ut videamus Hippocratem, Galenum, Aretaeum, Celsum, aliosque Graecos, & Latinos Medicinae principes praecipuum in eo opere obtinere locum. Haec si demas, & nonnulla ex proprio penu, pulcherrima quidem & tanto viro digna, caetera fermè systematica, saeculi ingenio acomodata splendoris quidem multum, sed utilitatis parum continere, facile quisque accuratè perpendens intelligit. Repetendos ergo doctrinarum fontes, qui verè sapiunt, serio monent: melius enim ex ipso fonte bibuntur aquae, atque rivulos consestari saepe foedatos spurcissimosque, & fontes rerum non videre, non modò tardi est ingenii & hebetis, sed ad veritatis inquisitionem omnino inepti: id quod in caeteris artibus perquam commodum, in Medicina prorsus necessarium esse, quisquis vel mediocriter in ipsa versatus ultrò fatebitur. Medicus naturae minister & interpres, leges tum universales, cum maxime particulares, quibus ipsa regitur ad vitae & sanitatis conservationem,

inspicere, attenteque observare & sequi tenetur, si velit in arte proficere. Experientia, quæ hisce observationibus ritè institutis oritur, non uni aut alteri tantùm conceditur homini, sed plurium saeculorum intervallo perficitur. Hac via magnus Hippocrates, post peragratas varias Provincias, ut Scholas Coam, & Cnidiam inviseret suis temporibus celeberrimas, assumtis, accuratè inspettis, & in ordinem redactis Asclepiadeae familiae observationibus, à multis retro saeculis omni diligentia peractis, tum demum suis aliorumque viribus ad culmen artis pervenit, ut non modò antiquorum votis, sed recentiorum, qui sapiunt, auctoritate, ars salutaris, quae hodie ultimum fermè perfectionis punctum attigisse videtur, non ultra fines ab Hippocrate praescriptos, in his quae ad aegrorum sanationem spectant, transgrediat. Haec omnia perpendens Galenus antiquitatis cultor studiosissimus, non uno tantùm in loco, quosdam sui temporis nebulones insecatur, scitè non minus quam vere constituens, veteres esse colendos tamquam Medicinae parentes, verisque interpretationibus, non fucatis, declarandos. Jam verò nè ob temporum discrepantiam ambigua, & obscura fiat oratio, operaे pretium me facturum puto, si brevi, quinam sint re ipsa veteres, & novi quos legendos censemus, perspicuè des-

cribam. Igitur tres Medicinae aetates considerare expedit. Prima , ab olympiade octuagesima usque ad saeculum Ecclesiae sextum , Hippocratem, Dioclem , Aretaeum , Galenum , Trallianum, AEginetam , AEtium , Oribasium inter Graecos includit , & inter Latinos Celsum , Aurelianum, Serenum , Scribonium , aliosque , etsi haud infimi subsellii Scriptores , minimè tamen cum his comparandos. Neque una est omnium hujus aetatis Auctorum sors ; Hippocrates enim , & Aretaeus caeteros omnes : Galenus reliquos qui Graecè scripserunt , longissimis intervallis post sese relinquunt. Idem esto judicium de Latinis , nam imprimis Celsus , Hippocratis sectator perpetuus, stilo , doctrina , sententiarum ubertate inter politissimos , dissertissimos , aeternumque duraturos Scriptores numerandus. Nec minore gloria dignus Aurelianus , si historias morborum exactissimas , & omni pretio aestimandas , stilo horrido ac barbaro non inquinasset. Caeteri Latini Scriptores , etsi sua quisque laude dignus , minime cum istis conferri merentur , qui praeter inanem interdum , & futilem docendi rationem , cadentis jamjam latinitatis vestigia continuò sequuntur. Quamquam morbos non eloquentia sed remediis curari , neque aegros eloquentem Medicum quaerere sed sanantem nonnulli ignavi , & impotentes

tes continuò crepent , tamen si idem ille qui sanare potest , comtè de his quae facienda sunt , disserat , boni consulet. Utut Medico purè sic dicto practico sufficiat artem rectè callere , atque non malè scribere aut loqui , tamen humanioribus litteris instructos esse Medicos , ingenuaque didicisse fideliter artes , tum ad morum feritatem & barbariem avertendam , cum maximè ad rectè de omnibus cogitandum impensè deservire , nemo ibit inficias. O utinam ! Neque enim cum larvis lu&tamur , hac nostra aetate non essent Medicæ artis professores , non modò optimis litteris non imbuti , sed osores , & contemptores pervicacissimi : incredibile enim est , quantum linguarum bonarumque artium cultura ad medicinam cum judicio & severitate exercendam conferat , quod , vel me tacente , celeberrimorum in arte virorum exemplis pene innumeros monstrari potest. Secunda aetas à saeculo sexto ad usque renatas in occidente litteras , obscurissimorum temporum intervalla complectitur , in quibus , & bonarum artium , & medicinae summum fuit decrementum. Igitur Arabes Medici , Rhasis , Avicena , Averrhoes , Avenzoar , Hali , Serapio , Mesues in ea aetate floruerunt , quorum institutum fuit pauca è purissimis Graeciae fontibus haurire : caetera ex Aristotelis Philoso-

phia pro suo captu deducere , omniaque stilo barbaro , & incomto comprehendere. Etsi dubitandum minime sit , quin Arabes sub his temporibus aliqua ad praxim promovendam tradiderint , & chymiae fundamenta jecerint , tamen si haec cum eorum obscuritate , paeconceptis opinionibus , falsis ex Philosophia axiomatis , indeque in immensum crescentibus vanis , subtilibus , nulliusque momenti disputationibus conferantur , facile quisque intelliget , hos homines ad corrumpendas potius quam illustrandas artes natos : atque parum abfuisse quin medicinae ruinam fermentè irreparabilem inducerent. Haec omnia non de Arabibus tantùm , sed de eorum per plura saecula sectatoribus intelligenda ; etenim dici vix potest , quantum Gentilis de Fulgineo , Matthaeus de Gradi , Petrus Apponensis , Arnaldus Villanova-nus , aliique hujus farinae homines à vero aberraverint , volumina magnae molis at parvae frugis in publicum emitentes , quibus nihil aliud fermentè consequimur nisi ut tenebras , vanas fuitilesque subtilitates , & eorum temporum ruditatem agnoscamus. Ventum tandem est ad foeliciora saecula , cùm scilicet , renatis litteris , artes omnes in tenebris sepultae veluti novo lumine afflatae mentes hominum ubique illustrarunt. Mirum , quantum mutata Medicinae facies exeunte saeculo

lo decimoquinto : quantum increverit , quot mutationes subierit sequentibus saeculis ! Sanè Scholarum Professores , vel quod nimium radicata barbarie suis gauderent lacunis volutari , vel quod turpe putarent , quae imberbes didicere , senes perdenda fateri , non modò graecas litteras non ceperunt , quin potius adversus bonarum artium studia , tamquam pro aris & focis , pugnavere. Interim pauci , quos aequus amavit Jupiter , graecae loqui , docere , & lectitare non desierunt , ut Anglia Cajos , Linacros : Gallia Duretos , Ferne-lios , Ballonios : Hispania Collados , Esteves , Valllesios : Italia Mercuriales , aliosque plurimos habuerint verae Medicinae reformatores. Tandem , cum , excusso Philosophiae Aristotelico-Arabicae jugo , libertas ingenii restituta viam ad nova invenienda aperiret , Cartesius , Hobbius Philosophiam : Paracelsus , Helmontius , aliquique non pauci Medicinam nova methodo , nova etiam doctrina excolere tentarunt. Infoelici fato accidit , ut hi homines , veteribus relictis , ad nova praecipi-ti cursu devoluti , hinc inde , deficientibus certis principiis , jactarentur , & quisque prout erat ingenii acutioris aut hebetis Philosophiam , & Medicam artem liberè excogitatis at vanis futilebus-que systematibus impleverit. Subinde , faustis avi-bus , Baco Verulamius , praecunte nostro Ludo-

vico Vives , has artes à vero instituto devias post-liminio revocavit , & bona fortuna factum , ut experientia tamquam Philosophiae naturalis , & Medicinae magistra , omni procul systemate , quantumvis specioso , abjecto , tum demùm summo artium nitore recipere tur. Igitur veteres vocamus non solum artis principes , sed qui statuta ab antiquis dogmata perpetuò calcare sibi religioni duxerunt : novos eos appellamus , qui relictis veterum viis , vel vetera innovarunt , vel fortasse omnino nova tum Philosophica cum Medica dogmata docuerunt. Sed indiscriminatim sunt accipienda quae veteres , & novi ut vera tradidere? Minimè. Quinimo , cum plurimum discriminis inter eos intercedat , plurimum omnes interdum à vero recedere , certò scimus , atque in id nobis incumbendum , ut intelligamus , nervos atque artus esse sapientiae nihil temere credere , stultumque nimis esse quae non satis cognita , & explorata sunt sine ulla dubitatione confirmare. Veteres (si Hippocratem , Aretaeum , Celsum excipias) in systemata , & opinionum monstra ferè omnes abidere , ut sufficiat Asclepiadem , Erasistratum , Tessalum nominare , homines in perniciem artis salutaris natos. Galenus , vir arte & facundia insignis , hypotesium impugnator acer- rimus , & ipse sistema condidit à posterioribus

Graecis , imò & Arabibus per plura saecula, paucis hinc inde mutatis , inoffenso pede calcatum. Quid recentiores egerint adeo compertum est , ut necesse non sit in eorum infinito penè systematum numero recensendo immorari. Id innuere sufficiat , tot , tam varias per totam medicinam induxisse hypothesium formas , ut Graeciae Philosophos fingendo superaverint. Plura , quae ex Microscopio , Thermometro in anatomicis , & physiologicis adducuntur , senior aetas ad fabulas amandavit. Chymicorum principia , fermentationes , acidi & alchali pugnae inter commenta meritò recensentur. Vermiculorum sistema ad generationem viventium , pluresque morbos explicandos , non modo à Medicis sed Theologis quibusdam improvidè adoptatum , nihil aliud reipsa continet quam figmenta otiosorum senum ad imperitos juvenes. Multa quae jaëtant hodieñi , *mechanismi* , ut ajunt , sectatores , cum vera praxi non congruere sapientiores judicant , ut magna animi voluptate videamus , Sydenahamios , Lieutaudos , Klenios , Trilleros , Schombergios , aliquosque non paucos , quis meliore luto finxit praecordia Titan , abjecto omni systemate medicinam excolere masculam , firmam , & numquam defecturam. Quid plura ? Magnum , ut vocant , sanguinis circulationis inventum , etsi satis probabi-

li ratione fulciatur , multis adhucdum premi difficultatibus probè scimus , cum circa ejus motus, leges , jura , conditiones , fluendi vires , & vias, adeo discrepantes sint celeberrimorum anatomorum opiniones , ut plumbeus plane & stultus sit qui eas velit in concordiam revocare. Hallerus in grandi , & gravi Elementorum Physiologiae opere cum de *sanguinis motu progressivo* tractare intendit , in ipso statim limine candidè fatetur , eam theoriam anatomes luce carere , neque ad evidenter demonstrationem profici posse , ut interdum multum firma docere non liceat. Quidquod, sanguinis circulatio quam parum ad artis incrementum aegrorumque sanationem hactenus contulerit , nonnulli Neoterici , propugnatores alias acerrimi , pleno ore fatentur. Taceo quamplura de vasis lymphaticis , de succis bilioso & pancreatico , aliaque bene multa incerta adhuc nec probè discussa , & tamen tamquam evidentia à nonnullis recentioribus venditata ; ne quid memorem de nova illa inveniendi methodo , qua pestilentissima venena pro panacea obtruduntur. Sanè satis mirari non possumus quorumdam hominum labores , qui dirissimas & virulentissimas plantas *cicutam* , *hyosciamum* , *napellum* , *daturam* , aliasque id genus venenatissimas , proh dolor ! ut efficacissima , si Diis placet , omnium ferè morborum hucusque in-

insanabilium remedia promulgant, atque securissimis & praestantissimis medicamentis insolita calamitate praeferunt, quo certe nihil aliud efficiunt, quam benignissima artis salutaris beneficia in malignissima veneficia sine ratione convertere. In hunc censem referendum etiam est novissimum de *irritabilitate* inventum. Etsi innocens esse id videatur, ut seu verum, seu falsum sit, nec aegris nocebit neque eos juvabit, tamen ad id tantum deservire irritabilitas ista potest, ut Medicorum mentes exagitet, aliis propugnantibus, oppugnantibus aliis sine fructu, nimio tamen animorum omnium irritamento. In tanta ergo hominum nuntantium, ne dicam insanientium, copia id unum restat, ut ex omnibus, omni cura sedulaque diligentia, si quid utile est, extrahentes, veritates inter plurimos sparsas in unum reducamus. Veteres, etsi quidquid solidi medicina continet, fermè tradiderint, non omnia exhausisse sed posteris invenienda reliquisse, saepius & sapienter inculcarunt, ut Galenum, & Senecam hujus rei testes probatissimos adduxisse sufficiat. Recentiores, inter innumera pene opinionum commenta, aliqua adducere ad artis ornatum, & illustrationem, extra omnem dubitationis aleam positum est. Quinimo quosdam esse veterum imitatores, & praxim, anatomen, botanicam, aliaque ad histo-

toriam Naturae spectantia solidis & accuratis observationibus excolere, quivis nisi ignavus, & rerum nostri aevi hospes, fateatur oportet. Ergo dedita opera adlaborare expedit, ut, quidquid systema sapiat, abjiciamus, ea solùm suscipientes, quæ veris observationibus atque firma experientia fulciuntur. Sapienter Cicero ut solet : *Opinionum commenta delet dies, Naturae judicia confirmat.* Igitur nihil temere affirmantes neque contemnentes, omni animi intentione quidquid systematicum, hypotheticum, imaginarium tum apud veteres, cum maximè apud recentiores conspexerimus, prorsus rejiciamus : Contra ; quod veris observationibus indeque nata experientia constitutum, ambabus ulnis amplectamur, sic enim fieri ut veritas veritate roborata medendi artem augeat, & aegris solida ac perpetuo profutura consilia ministret. Ad hanc trutinam examinata Medicorum dogmata haud facile nos in errorem labi patientur : secus verò indiscriminatim recepta quae quotidie prodeunt, ut vocant, inventa, nos èò adducent, ut nubem pro Junone captantes, ad inania & futile devolvamur, quod utique familiarissimum est hoc nostro saeculo ad novitates nubesque captandas nimium properante, & quidvis, modo novum & insolitum appareat, etiamsi vetustissimum sit, tum in Philosophia, cum etiam

etiam in Medicina, avidè, nè dicam imprudenter, & interdum stulte, tamquam è coelo delapsum, recipiente. Ergo, seu legendo, meditando, scribendo: seu aegrorum lectis assidendo, nobis propiaculo sit vel scriptis ubique obviis, nihil tamen verae frugis continentibus, fidem absque diligentí examine praestare, vel quidquam aegrotantibus praescribere, quod longo usu diuturnaque experientia non sit approbatum; atque danda opera, ut in academicis lucubratiunculis recentiorum placita rectè quidem & nervose statuta veterum dictatis, saeculorum auctoritate invalescentibus, amico foedere conjungamus. Scitè Laetantius sed docemus (inquit) nullam sectam fuisse tam deviam nec Philosophorum (adde & Medicorum) quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero... Quod si extitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos per sectasque diffusam colligeret in unum ac redigeret in corpus, is profectò non dissentiret à nobis. Supremum autem, quod omnia moderatur, Numen supplices oramus ac obtestamur, ut huic nostro labori, nostris votis ac desideriis, in ipsius potissimum gloriam, deinde hominum sanationem, & artis salutaris incrementum tendentibus, secundos prosperosque successus velit elargiri. *DIXI.*

Septimo Idus Novemb. ann. MDCCCLXVII.

